

ei sunt, nedum aliis, licet in vulgus pro magno æ-  
stimatis, dotibus habeant confidere. quippe ipsa  
sapientia non nisi singulari numinis favore, gratia  
ac ἐρεγγεία fructum suum exhibet. Ex quo sequitur,  
ut id quærendum nobis ac parandum sit ante o-  
mnia, quo adepti, nihil mali metuendum, veri  
autem boni certa sit & explorata comprehensio.  
quemadmodum Solomonem videmus cum in-  
genti ista sapientia graviter lapsus denique per  
gratiam Dei reperisse, timorem Dei sapientia ma-  
jus & ad fructum certius, imo veram hominis sa-  
pientiam esse, siquidem, qui Deum timet, is, quod  
sit verum bonum, intelligit, idque tanti facit, ut  
nihil sit, cuius jactura id redemptum nolit, & viam,  
qua id consequatur, sollicitudine vestigat summa  
inventamque insistit: quæ, nisi à Deo monstrata,  
vera esse non potest. Ex qua re Dei eximia digna-  
tio in Solomone cernitur, quòd, quum is neq; o-  
pibus neq; fastigio dignitatis, neq; scientiæ am-  
plissimæ beneficio ita beatus esset effectus, ut non  
in gravissimum, quodque acerbissimum animo  
dolorem afferret, peccatum laberetur; tamen &  
sic eum, non dico revocavit, sed ab umbra aut exi-  
guis sapientiæ rudimentis ex illo lapsu in veram  
salutis viam & solidæ agnitionem sapientiæ ad-  
duxit;